

1528

qui dissidia ferere , principumque animos disjungere nituntur , ut hac præsertim tempestate dissociatas foederatorum mentes in communem perniciem accendant . Ad hæc rationes , quæ ad id Senatusconsultum coegerant , explicet ; nihilque ob eam rem de summa in sanctissimam Sedem reverentia , atque observantia imminutum testetur . Cum Turonensi Comite , quem nuper oratorem ad Clementem Gallus miserat , ut ad foedus instaurandum suaderet , Pontifex idem conquestus est , se invito Ecclesiæ oppida Senatum retinere velle : adjecit statim , Ravenna , atque Cervia a Republica receptis ; Mutina , ac Regio a Ferrariensi Duce sibi traditis , nulla mora interjecta , foedus amplexurum . Id Turonensis Gallo , atque Anglo oratoribus significaverat , per eos hortatus , ut quæcumque in gravissima re Pontificem remorari possent , statim a Republica præciderentur . Senatus decreto responsum est ; mirari tam perturbato rerum statu Pontificem , qui in unicam Italiam libertatem , & dignitatem incumbere , atque , ut illam a Cæsareanorum insolenti dominandi libidine eriperet , enixe contendere deberet , modo totum in re , quæ nullum ad eventuum summam momentum haberet , defixum esse ; cum præsertim ad illum orator designatus fuisset , qui propediem de Reipublicæ negotiis cum illo esset acturus .

Inter hæc agenda , Cæsareanorum copiis in Neapolitanum regnum ingressis , de bello administrando diversis inter primores sententiis certabatur . Vastius recta adversus foederatos proficiisci , extremamque fortunæ aleam experiri suadebat ; id vel maiore militum numero , vel nondum omnibus nostrorum collectis copiis , haud difficile fore ; cunctatione Cæsar's vires imminui , cum quotidie , ut varia , ac levia ingenia gentis sunt , quamplurimi ad Gallos deficerent ; neque pecuniæ satis ad continendos sub signis milites suppeditaretur ; prospere confecto prælio , omnia in suam potestatem oppida , quæ foederatis accesserant , concessura : depulso a Neapolitanorum cervicibus bello , reliquias in Insubribus confectum iri . Nonnulli contra tutius arbitrabantur , si loco & situs natura munito , & commeatibus importandis idoneo , castra locarentur , atque observato quid hostes agerent , inde consilia caperentur ; potiusque intra Neapolitanæ urbis mœnia se reciperent , quam momento de amplissimi

*Clemens cù  
Turonenſe  
Gallia oran-  
tore de Ve-  
netis con-  
queritur .*

*Cæsareano-  
rum Ducum  
de bello ad-  
ministrando  
diversæ sen-  
tentiae .*